



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. V. Quinam possint dare eleëmosynam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

10el. 2.

Iohan. 6.
Iſaia 54.

39
Quam vim
habeat ele-
moſyna in
perſeueran-
tibus in pec-
cato.

Daniel 4.

Hieron.

40

41

42

est ex ſe nata ſunt ex tali cauſa fieri, niſi aliunde impediuntur. Sic Ioel. 2. v. 28. dicitur tempore Chriſti ſpiritum Dei effundendum ſuper omnem carnem, ita vt omnes prophe- tent. Et Iohannis 6. v. 45. ex Iſaia 54. v. 13. di- cuntur omnes fore docibiles Dei, ſcilicet quantum eſt ex vi meritorum & gratiæ Chriſti: etſi multi ob ſuum defectum Dei cognitionem & ſpiritum non participant.

His adde Tertio, eleemofynam peccatoris, etiam eius qui ſe non conuertit ex toto corde ad Deum, ſed adhuc hæret in ſuis peccatis, ſapè valere ad remiſſionem, aut ſaltem dilatio- nem pœnarum temporalium, quas Deus ipſi in hac vita, aliàs eſſet ob peccata infligendus; etſi nec culpa, nec pena æterna ei remittatur. Et ſic etiam videtur poſſe intelligi dictam Danielis cap. 4. ad Nabuchodonosor. *Peccata tua eleemofynis redime.* Imò teſte Hieronymo in eum locum, ipſe Nabuchodonosor de facto per eleemofynas impetrauit dilationem illius pœ- næ per integrum annum, donec relapſus in ſu- perbiā rurſum vindictam contra ſe excita- uit. Ex quibus patet facilis reſponſio ad omnia loca Scripturæ & Patrum ſuprà citata n. 28.

Ad primum, Reſpondeo Chriſtum ibi hor- tari Phariſæos, vt, qui exterius ſe ſapienter lau- bant & volebant videri mundi, cum intus eſſent pleni rapina & iniquitate; etiam darent operam & quidem maiorem, vt interius in con- ſcientia eſſent mundi; & deinde ſuggerere me- dium quo id poſſent aſſequi. Nam ſubdit: *Quod ſuper eſt* (ſcilicet poſt reſtitutionem iniuſtè ab- latorum, ſiue, vt Græca habent, τὰ ἐπὶ τῆς, in- exiſtentia, ſiue quæ inſunt, id eſt ſecundum ea quæ vobis inſunt, ſiue quæ in poteſtate veſtra ſunt) *dare eleemofynam.* & ecce omnia munda ſunt vobis. Quia ſcilicet reſtituendo ablata, & dan- do eleemofynam, primò liberabitis vos ipſos à rapinis, & iniqua alienorum poſſeſſione, & purgabitur cor ab auaritia, & à Deo impetra- bitis gratiam, qua poſſitis plenè ad eum con- uerti; & ſic non modo exterius, ſed etiam inter- ius eritis mundi; & conſequenter omnia erunt vobis munda.

Ad ſecundum, Reſpondeo eam Chriſti pro- miſſionem intelligendam eſſe cum aliqua con- ditione, ſicut multæ aliæ ſimiles; ſcilicet niſi noſtra obſtinatione & impœnitentia Dei mi- ſericordiam impediuerimus. Solū enim vult, primò Deum non remiſſurum nobis villo mo- do peccata noſtra, niſi proximo remiſerimus ea quæ contra nos peccauit; & deinde ſi hoc fecerimus, Deum facilè remiſſurum nobis pec- cata quorum nos perfectè pœnitet; & darum gratiam, qua facilè ad pœnitentiam poſſi- mus peruenire.

Ad tertium, Reſpondeo id dici propter gra- tias præuenientes, quas eleemofyna iuſtè facta nobis impetrat, quibus, ſi velimus, facilè per- uenimus ad pœnitentiam & peccati remiſſio- nem; aut etiam quia eleemofyna facta à iuſto delet pœnas peccatis remiſſis adhuc debitas.

Ad quartum, Reſpondeo in illo loco tam S. Iacobi quàm S. Matthæi ſolū ſignificari Deū rigidè acturum cum immiſericordibus, & li-

beraliter cum miſericordibus, ſcilicet dando his liberaliter gratiam, qua facilè ad pœni- tentiam & perfectionem perueniant, ſi ve- lint.

Ad quintum, Reſpondeo aut id intelligen- dum eſſe de amore proximi procedente ex vera Deicitate; aut dicendum ibi ſolū ſignifi- cari dilectionem proximi valere ad remiſſio- nem peccati, modo iam dicto.

Ad ſextum Reſpondeo, Chriſtum ibi ſolū facere mentionem operum miſericordiæ, non quòd non ſit ibi habiturus rationem aliorum operum, ſiue bonorum ad præmiandum, ſiue malorum ad puniendum (nam Matth. 12. v. 36. expreſſè dicitur ibi exigendam eſſe rationem de omni verbo otioſo) ſed quia eo loco vole- bat homines ſingulariter excitare ad opera mi- ſericordiæ exercenda, eoſque ex iis, quæ de his factis aut omiſſis ibi dicuntur, intelligere quid de aliis operibus bonis aut malis ſit dicendum.

Ad loca verò citata ex S. Ambroſio & S. Cy- priano, Reſpondeo ea nullo modo probare eleemofynam delere peccata, quorum nos non pœnitet; nam nec baptiſmus delet peccata actualia, niſi eorum nos pœniteat. Dicunt igitur tam illi quàm alij Patres eleemofynam de- lere peccata, aut quia hæc omnia delet, quoties procedit ex vera caritate erga Deum (quia tunc ſupponit ſaltem virtutalem de peccatis omnibus contritionem); aut quia delet pœ- nas peccatis per pœnitentiam iam remiſſis ad- huc debitas; aut etiam quia impetrat gratiam, qua ad pœnitentiam perducimur.

D V B I U M V.

Quinam poſſint dare eleemofynas?

HAc in re certum eſt Primò, eos liberè poſ- ſe dare eleemofynas, qui habent res ali- quas quarum habent abſolutum dominium ac liberam adminiſtrationem: quia in vſu ac alienatione honeſta harum rerum à nullo dependen- t. Secūs autem eſt de iis, qui aut huiusmodi res non habent, aut ſi habeant carent iure eas adminiſtrandi; qui ideo in earum alienatione pendent ab iis, apud quos eſt earum domi- nium aut ius adminiſtrandi. Hinc inter Docto- res naſcitur controuerſia, circa nouem genera perſonarum, qua ratione iis licitum ſit dare eleemofynas. Scilicet circa mancipia & Reli- gioſos profeſſos, qui abſolutè carent omni eiufmodi rerum dominio, ſaltem propriè dicto; circa famulum reſpectu bonorum ſui heri; circa vxores & filios familias; circa pupillos & minores conſtitutos ſub tutore aut curato- re; circa prodigos ſub curatore conſtitutos; & demum circa eos qui commiſerunt aliquod crimen ob quod eorum bona ipſo iure ſunt conſiſcata. Nam Medina tractatu de eleemo- ſyna, quaſt. De quibus bonis & à quibus, &c. putat tales nihil ex ſuis bonis, niſi quantum eſt ne- ceſſarium ad ſuam & ſuorum ſuſtentationem, poſſe alienare. & conſequenter hi nec poterunt dare eleemofynas.

Secus.

45 Secundò, certum est supradictos posse facere eleemosynas, Primò, in iis casibus, in quibus ob extremam aut valde grauem alicuius necessitatem licet capere alienum ad dandam eleemosynam, iuxta dicenda infra dub. 9. Teneantur tamen, si fieri possit, prius petere veniam ab iis, à quorum voluntate in ea donatione aliàs penderent. In sequentibus igitur resolutionibus semper excipimus hunc casum. Secundò, ex expresso vel tacito consensu eorum, apud quos est dominium vel ius administrandi ea bona, ex quibus dant eleemosynas, aut quibus aliàs subiecti sunt.

46 Quas eleemosynas aut possint aut non possint facere mancipia. Lessius.

Ex dictis sequitur Primò, mancipia non posse dare illas eleemosynas sine tacito vel expresso consensu suorum dominorum: quia nullius rei habent verum dominium, sed tam ipsi quam omnia quæ habent sunt ipsius domini, ut ex communiore sententia docet Lessius de iustitia cap. 4. dub. 4. Censetur autem dominus consentire, Primò, ut aliquando dent paruas aliquas eleemosynas ex reliquiis ciborum, aliarumque similium rerum, quarum dispensatio eorum cura est absolute commissa: nisi expresse de contraria mente ipsius domini constaret. Ita cum communi sententia Azor tom. 2. Moralium lib. 12. cap. 10. quæst. 2. Turrianus 2. 2. disput. 84. dub. 2. & ipse D. Thomas in 4. dist. 16. quæstione 2. articulo 5. Secundò, quando dominus seruo concedit certam quantitatem ciborum aut pecuniæ pro sua sustentatione, nec vnquam inquirat quid de illis agat, si hic totum non consumat, censetur ille consentire, ut quod superest suo arbitrio honeste infumat, & consequenter ut ex eo det eleemosynam. Tertiò, dominus censetur consentire ut seruus de suo priuato peculio, quod cum domini consensu, aut alia ratione licite habet, faciat eleemosynas; imò contingere quandoque potest ut dominus nequeat ei licite eiusmodi peculium auferre, aut eius honestam dispensationem prohibere; præsertim quando ipse hoc ei absolute dedit in compensationem iniuriæ ei factæ, aut extraordinarij laboris suscepti, aut quando ei ab alijs aliquid ea ratione donatum est, ut in potestatem domini venire non posset. Vide Lessium supra.

Lessius.

47 Quas eleemosynas possint facere Religiosi.

Sequitur Secundò, Religiosum qui est absolute Superior, posse ex redditibus monasterij suorum decenti sustentationi non necessarijs facere eas eleemosynas, quas ei suæ constitutiones permittunt: alios verò subordinatos officiales posse facere eas eleemosynas, quas aut Superior aut officij regulæ iis expresse permittunt facere; aut quas eorum decessores communiter palam neminem contradicente facere sunt soliti; quia quamdiu Superior expresse non contradicit, censetur in hoc consentire. Potest tamen Superior eorum potestatem suo arbitrio restringere. Similiter priuatus Religiosus dum proficitur, aut extra monasterium in studiis aut similem ob causam commoratur, potest ex iis quæ ei ad viaticum aut sustentationem dantur, paruas aliquas eleemosynas facere; quia Prælati censentur in hoc con-

sentire. Ita ex communi sententia Lessius de iustitia cap. 18. dub. 11. n. 85.

Extra huiusmodi autem casus non censetur Superior priuatis Religiosis vllam tribuere facultatem eleemosynas faciendi; quia bona subordinationi & gubernationi domus Religiosæ conuenit, ut ipsius res non dispensentur, nisi pereos quibus ea cura à Superiore mandata est. Vnde Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 36. num. 6. cum alijs bene infert, Religiosum existentem in monasterio non posse ex iis, quæ ipsi ad victum & vestitum dantur, facere eleemosynam, sine speciali Superioris consensu. Additque in hoc differre monachum à mancipio aut etiam à famulis, qui ex iis quæ ipsi dantur ad victum, possunt sibi aliqua subtrahere & dare pauperibus. Et rationem reddit, quia monachus tam est incapax propriæ dicti vltus rerum, quam dominus, nisi quatenus à Superiore conceditur. Sed melius Turrianus 2. 2. disp. 84. dub. 2. nullam hac in re inter dictos agnoscit discrimen: quia tam dominus potest suis mancipijs ac famulis, quam Superior suis Religiosis quotidie dare certam portionem pro eorum præcisè sustentatione, ea conditione ut totam quidem possint consumere, si in necessaria sit; nullo tamen modo possint ex ea quidquam alijs elargiri, imò ferè communiter hac conditione iis quotidianum victum dant: facilius tamen dominus suis seruis aut famulis concedat ut superflua suæ portionis possint dare pauperibus, quam Superior suo Religioso; quia hoc nullo modo expedit (saltem communiter) ut omnis species proprietatis euitetur. vnde serui sæpè prudenter præsumunt eam esse sui domini voluntatem: Religiosi verò vix vnquam possunt similem sui Superioris voluntatem præsumere; nisi expresse de ea constet, aut extra monasterium commorentur.

Sequitur Tertiò, famulos posse dare eleemosynas ex bonis quorum sunt domini, quia horum habent liberam dispensationem: de bonis verò suorum dominorum non aliter possunt facere eleemosynas, quam quatenus id ipsis dominus tacite vel expresse concedit. iuxta dicta n. 6. de mancipijs: est enim hac ex parte eadem vtrorumque ratio.

Sequitur Quartò, vxorem omnino liberè posse facere eleemosynas ex bonis quorum non solum habet dominium, sed etiam liberam dispensationem: qualia sunt, Primò, ea quæ maritus ei concedit, ut ea pro libitu expendat. Secundò, si quæ habeat bona paraphernalia, siue quæ secum attulit supra dotem, aut quæ labore suo, ad quem, eò quod sufficientem attulerat dotem, non tenebatur, lucrata est; hæc enim secundum Ius Cæsareum, tam secundum proprietatem quam secundum vsum ac liberam dispositionem sunt omnino ipsius. Sed secundum multarum regionum ius priuatum & receptum vsum, etiam hæc bona sunt communia vtrique coniugi, & mariti dispositioni subiecta: quare in his locis de illis bonis, sicut de ceteris, est iudicandum.

Quintò,

Quintò, eandem ex retributis sue dotis aut aliis bonis communibus, honeste familiæ sustentationi superfluis, posse facere moderatas eleemosynas, quales aliæ suæ conditionis feminæ solent facere: quia hoc communis usus ei concedit. Ita Palud. in 4. dist. 75. q. 3. art. 6. Silvester v. Eleemosyna. q. 5. Angelus ibidem n. 7. & Turrian. 2. 2. disp. 84. dub. 1. & alij infra citandi. Nauarrus tamen in Manuali c. 17. n. 153. docet, id solum esse verum, quando maritus censetur aliquo modo consentire: nam si hic expressè id veret, vult ei non licere vllas facere eleemosynas; quia dispensatio istorum bonorum omnino ad maritum pertinet. Sed Petrus Nauarra lib. 3. de Restitut. c. 1. n. 83. Molina de Iusticia disp. 274. Lessius de Iusticia c. 12. dub. 14. n. 48. & quidam alij melius docent, eam etiam hoc casu posse eiusmodi eleemosynas facere. quibus videntur Paludanus, Silvester & Angelus iam citati consentire, qui illimitatè loquuntur. Et probatur Primò, quia communis consuetudo tribuit ei ad hoc ius, idque non minùs efficaciter quàm priuilegium hoc ei tribueret, quo maritus eam inuitam nequit priuare. Secundò, quia vir tenetur vxori pro sua conditione præstare honestam sustentationem: ad quam inter cetera pertinet, vt possit quandoque quædam in eleemosynas aliasque res honestas expendere, sicut alia suæ conditionis feminæ facere solent; & contrarium ipsius honori apud æquales ac notas multum detraxerit. Terriò, quia vir non debet vxorem tractare vt mancipium, sed vt sociam in domus gubernatione, atque ita ei aliquam rerum administrationem credere; ita tamen vt ad ipsum spectet hanc in omnibus rationabiliter moderari, sicubi illa excedat.

Dices, D. Augustinus epist. 199. ad Ecdiciam ait: *Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro vel argento, vel quacunque pecunia, aut rebus vllis terrenis tuis sine arbitrio eius (scilicet viri tui) facere debuisti.* & infra: *Mulierem coniugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo, cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri.* Respondeo hac solum probare vxorem non posse pro libitu sine viri consensu ita de rebus suis disponere, vt eas aut magna ex parte eo inconsulto profundat (prout illa fecerat, ad quam S. Augustinus ibi scribit) aut etiam vt tam multa, eam ratione ex iis largiatur, vt vir meritis offendatur. vnde D. Augustinus prioribus verbis subiungit: *Ne scandalizares hominem, scilicet virum tuum.* In nostro autem casu vir nequit eiusmodi eleemosynis iuste offendi, vt iam ostendi: & quamuis mulier sit aliquid viri tamquam capitis; tamen non est eius mancipium, sed in gubernatione socia, et si sub viro iuxta iam dicta.

Sextò, eandem de bonis communibus posse facere eleemosynas, quando maritus est amens, aut diu absens, quia tunc gubernatio domus ad eam spectat. Ita Auctores citati num. 52. Nauarrus tamen n. 154. docet, eam tunc non posse facere maiores eleemosynas, quàm vir dum vtebatur ratione, ac præsens erat, solebat facere. Sed alij hanc limitationem non addunt: vnde Lessius docet, eam tunc posse facere eleemosynas, prout prudentia dictabit. Quod videtur

omnino clarum, quando vir est amens, quia tunc ipsa ei nullo modo amplius subest; atque ita gubernatio domus ei absolute est commissæ. Idemque credo esse verum quando vir diu abest; nisi expressè prohibuerit ne det eleemosynas maiores, quàm ipse soleat dare: quod eum posse facere est satis probabile, cum maneat absolute eius superior; præsertim si habeat iustam causam timendi ne vxor in iis dandis sit indiseretior.

Addunt idem Doctores vxorem in scio marito posse dare eleemosynas, vt auertat graue mariti damnum, ne scilicet Deus eum ob peccata puniat; aut vt impetret eius conuersionem. Probatur Primò, quia hoc modo agit vtiliter rem sui mariti. Secundò, quia si maritus corpore periculosè laboraret, & ex auaritia nollet facere necessarias expensas in medicos & medicinas, posset vxoreo incipio ex bonis communibus eas facere, vt periculum ab eo auerteret: ergo similiter poterit dare eleemosynas, vt auertat ab eo periculum animæ. Terriò, quia Abigail 1. Regum 25. in scio marito licitè & laudabiliter dedit Dauidi munera, vt ab eo auerteret imminens periculum: ergo similiter vxor poterit dare eleemosynas, vt euasione periculi, aliud bonum à Deo marito impetret.

Quæ sententia est probabilis ob Doctorum auctoritatem; argumenta tamen allata eam non probant. Ad primum, Respondeo me non quouis modo alterius negotium vtiliter agere, quando ipse inuitus est: nec enim possem inuito domino accipere ipsius pecunias ad reditum, quas seruat otiosas, vt ipse ea ratione aliquid lucretur. Item alias posset vxor inuito marito semper omnia statui eorum non necessaria dare in eleemosynas vt ei maiorem gratiam à Deo impetraret; quia secundum illos vtiliter ageret eius negotium.

Ad secundum & tertium, nego consequentiam: quia in illis casibus illa vxorum elargitio est medium omnino necessarium, & moraliter certò creditur hinc & nunc futurum efficax ad ea pericula euitanda: secus est de illa datione eleemosynæ, quia mulier aliis viis, v. g. precibus ac pijs operibus, potest non minùs viri salutem promouere, quàm dictis eleemosynis: & quamuis eas faciat, valde incertum est an periculum à marito auerteret. Huc accedit, quòd, loquendo prout dicti Auctores videntur loqui, de datione eleemosynæ, vltra eam mensuram, quam nu. 52. diximus vxorem posse dare etiam inuito marito; hac ratione nimium videatur laxari libertas vxorum, darique iis occasio multa imprudenter largiendi, dum faciliè apprehendent hoc esse vtile medium vt viri ab aliquibus vitiis, quæ ipsis valde displicent, emendentur. Quare putarem hac sententia non nisi rarò & valde cautè vtendum, præsertim quando manifestè non constat virum esse notabiliter negligentem in dandis eleemosynis, & suo officio hac in re nullo modo satisfacere.

Addit Paludanus suprà, vxorem in scio marito posse ex bonis communibus tantum expendere in eleemosynas, quantum ad eam

Paludan.
Siluest.
August.
Turrian.
Nauarr.

Pet. Nau.
Molina.
Lessius.

Vxor potest
etiam inuito
marito facere
aliquas
eleemosy-
nas.

53
August.

54

Nauarr.

Lessius.

55

1. Reg. 25.

56

An vxor pos-
sit maiores
facere elee-
mosynas vt
marito gra-
tiam à Deo
impetret.

57

Paludanus.

eiulue

eiufue nomine ad liberos mortuo marito reditum est. Sed merito alij hac in re ei contradicunt; est enim aperte falsum: quia istorum bonorum tam ususfructus quam dispensatio ad maritum pertinet, quibus ipsum vxor per eiufmodi eleemofynarum distributionem iniuriose priuaret. Posset tamen hæc sententia habere ex parte locum, quando maritus bona communia dissipat, ea in computationibus, luxuriis, aliisue rebus inuilibus immoderate expendendo; qua in re cum aperta vxori faciat iniuriam, hæc potest tantumdem ex bonis communibus clam surripere vt se indemnem seruet, & hoc sibi seruare, aut etiam in pias causas ex parte aut totum expendere; nisi necessarium sit ad suam suorumque sustentationem; qua proles non potest priuare. Vide Lessium de Iustitia c. 12. dub. 14. n. 87. & Petrum Nauarrum lib. 3. de Restitut. c. 1. n. 114.

Quid liceat vxori si maritus bona prodigè expendat.

Lessius.
Pet. Nauarr.

58
Quid liceat filiofamilias.

Lessius.

59

Lessius.

60
Quadruplicia bona filiofamilias.

61
Quid liceat pupillo aut minori.

Sequitur Septimò, filiumfamilias ex bonis castrensisibus aut quasi castrensisibus posse omnino liberè facere eleemofynas: quia horum tam dominium quam dispensatio ad eum pleno iure pertinet. Quod maximè locum habet in puberibus; nam impuberes in donationibus ob iudicij imbecillitatem magis restringuntur: quare his non ita facilè permittitur dare magnas eleemofynas sine consensu eorum quibus subsunt. Vide Lessium de Iustitia c. 18. n. 78.

Ex bonis verò aduentitiis & profectitiis filiusfamilias potest dare eleemofynam. Primò, ex iis, quæ parentes ipsi concedunt ad honestas recreationes, aut vt ea pro libitu expendat. Secundò, quando versatur in studiis, aliaue ex causa degit extra domum parentis, ex tacito huius consensu, ex iis quæ ipsi ad sustentationem à parente dantur, potest facere moderatas eleemofynas, sicut alij eiufdem sortis facere solent: nam, vt ostendi n. 47. etiam Religiosi extra monasterium versantes possunt hac ratione facere eleemofynas. Vide Lessium de Iustitia c. 12. dub. 13.

Vbi cum eodem c. 4. dub. 3. Nota, filiumfamilias habere quadruplicia bona. Primò, castrensia, quæ ratione militiæ accipit. Secundò, quasi castrensia, quæ ex beneficiis aut ratione publici officij non mechanici, v.g. iudicis, aduocati, notarij, &c. aut ratione professionis artis liberalis, accipit: & horum tam dominium quam dispensatio ad ipsum pertinet. Tertiò, aduentitia, quæ ei nec ex causis iam dictis, nec à parente aut eius intuitu proueniunt: quorum dominium ipsius est, ususfructus & dispensatio parentis. Quartò, profectitia, quæ ei à parente vel eius causa proueniunt: quorum filius solum habet usum ea ratione qua ei à parente conceditur. Vide plura apud Lessium.

Sequitur Octauò, pupillos & minores in dandis eleemofynis, præsertim magnis, pendere à consensu suorum tutorum aut curatorum; nam etsi sint absolute domini suorum bonorum, tamen in eorum administratione pendunt à consensu tutorum. Dixi præsertim magnis, &c. quia vt dent moderatas, & quales alij eiufdem secum sortis solent facere, quæque sine notabili incommodo rerumue suarum diminutio-

ne fieri possunt, tutor & curator censentur, imò etiam tenentur consentire; & si agatur de eleemofynis dandis ex bonis castrensisibus aut quasi castrensisibus, minores præsertim in his nullo modo pendunt à suis curatoribus. Vide Lessium de Iustitia cap. 18. dub. 11. & Lorcam 2.2. loc. cit. 3. disp. 36. n. 10. Vbi etiam n. 11. citans Paludanum, Armillam & Azor, notat tutorem posse nomine pupilli ex eius bonis facere moderatas eleemofynas. Quod probabile est quando id sine notabili pupillorum incommodo fit. Quando tamen pupilli vtuntur sufficienti ratione, tutius hoc cum eorum consensu fit, imò multò conuenientius est vt tutores incitent pupillos vt per se huiusmodi eleemofynas faciant ex tutoris directione. & hisine dubio habent ad hoc aliquid ius, si id ita fieri velint: quia hoc ius vtilius est; nam hoc modo magis merentur, & piorum operum exercitio assuescant; & etiam ad eorum honorem & decentem sustentationem pertinet.

Quod autem attinet ad prodigos, quibus datus est curator, eadem eorum est ratio atque aliorum sub curatore constitutorum. Illi autem, qui commiserunt crimen, ob quod eorum bona sunt de iure confiscata, quamdiu hæc ipsi per sententiam eiufque executionem non auferuntur, possunt ex iis dare eleemofynas sicut prius; quia tam diu retinent eorum usum & possessionem, possuntque iis sicut antea frui. Ita Suarez lib. 5. de Legib. c. 8. n. 5. Vasquez 1.2. disp. 170. c. 3. vbi plurimos citat, & colligitur aperte ex cap. Cum secundum, de hæreticis, in 6. vbi hæreticorum bona decernuntur ipso iure confiscata; & tamen principes prohibentur ea de facto dominis eripere ante sententiam declarationis criminis. Lata tamen sententia, potest princeps omnes donationes, sicut & alias bonorum alienationes post commissum crimen factas reuocare, præsertim quando sunt magni momenti; quamdiu tamen non reuocantur, valent, vt docent Auctores citati.

D V B I V M VI.

Quibus danda sit eleemofyna?

Respondeo, dandam esse pauperi siue indigenti. Per se patet, quia datio eleemofynæ, vt ostendi supra, est opus misericordiæ; hæc autem propriè est voluntas subleuandi alienam miseriam; & consequenter vt aliqua donatio sit vera eleemofyna, siue datio eleemofynæ, debet esse subleuatio miseriarum alienarum; atque adeò debet fieri iis qui aliquam miseriam siue necessitatem patiuntur.

Vt autem tota res hæc sit clarior, Notandum est triplex esse genus pauperum. Primò enim quidam sunt omnino inuoluntariè pauperes, quales sunt Religiosi, qui ex amore virtutis & vt Christum perfectiùs sequerentur, se omnibus diuitiis exuerunt. Tertiò, aliis paupertas quidem est inuoluntaria secundum se, quia eam planè oderunt, & cuperent habere diuitias, si eas sine labore consequi possent; est iis tamen volun-